QUÆSTIO MEDICA
DE
PARTU
OCTIMESTRI VIVACI,

AUCTORE

CAROLO DRELINCURTIO,
Antea Medico Regio, nnnc verò Medicinæ Profeſſ. in Academia Lugduno-Batava.

LUGD. BATAV.
Ex Officina FELICIS LOPEZ DE HARO.

CIↃ IↃC LXVIII.

Benevolis Philiatris
Bibliopola S.

Anticipatas ſemel, altiuſque inhærentes Opiniones ex hominum animis revellere, negotium eſt mo-is utplurimùm ſummè operoſæ, præſertim ſi Autores, unde primulùm profectæ atque hauſtæ videntur, ἀξιόπιστοι, ἰσόθεοι, omni denique exceptione majores habeantur. Quod quidem ipſum tum in aliis permultis intricatiori-

bus Phyſiologiæ quæſtionibus, tum in hac ipſa de natis Octimeſtribus facilè deprehenditur, quibus cùm graviſſimi antiquæ Medicinæ principes, Hippocrates atque Galenus, Vitalitatem alicubi abjudicaſſe credantur, apud poſterorum pleroſque rem omnino ſic habere, pro confeſſo eſt, adeò ut περὶ τοῦ ὅτι tantillum titubare, penè piaculum audiat. Paucis tamen cordatioribus, quos benignior Juppiter in deliciis habet, longè aliter viſum, qui non modò problematicè in fœtuum Octimeſtrium Vitalitatem inquirere, ſed etiam eandem adverſus tot ho-

ſtium oppoſitas copias propugnare non dubitarunt: Qualis inprimis, ineunte noſtro hoc ſeculo, Federicus Bonauentura, Medicus Urbinas, qui cauſam hanc tam fuſè peregit, ut faſtidium ferè lectoribus incutiat. Cùm verò ab ignei ingenii Viro, Dom. CAR. DRELINCVRTIO, Medic. Regis Chriſtianiſſ. materiam iſtam exiguâ admodum Diatriba, cæterùm abundè nervoſâ, nec inamœnâ comprehenſam, ac in examen denuò vocatam audiviſſemus, pauloque poſt ejus copiam nacti eſſemus, luce publicâ protinus donandam cenſuimus,

rati hoc ipſo facinore gratiam à Vobis omnibus χαριεστάτοις φιλιάτροις, quorum commodis indulgere adeò volupe eſt ut nihil ſuprà, inituros eſſe nos minimè vulgariam. Bellè valete ac favete.

IN COMMENDATIONEM HUJUS OPELLÆ TROCHAICI.

Rara proles Octimeſtris, quam nefaſtam plurimi
Veritati non litantes, atque vitæ inhoſpitam
Publicare non verentur, ſeu vetuſti, ſeu novi:
Cur tibi non gratulemur, huncce nactæ vindicem
Strenuum, ſummoque zelo percitum orthodoxiæ,
Qui DRELINCURTI *celebri notus eſt cognomine?*

Pauculis hic namque totam rem peregit paginis,
Quam medens Vrbini alumnus, ſcæva cui nomen bona
Indidit, vix expedivit turgido volumine.
Ergo proles Octimeſtris, macte tali vindice,
Qui tuam Vitalitatem luculenter aſtruit,
Naxiis non tantùm in oris, aut plagâ Nilotide,
Quod priùs fecêre quidam literati nobiles,
Immò ubique, tum ſolum qua panditur, tum qua ſalum.

C. S.

QUÆ-

QUÆSTIO MEDICA,

AN PARTUS OCTIMESTRIS VITALIS?

Apposite Divus Ambroſius, *Omnes animantes, præſcripta habent partûs tempora, homo ſolus indiſcreta atque confuſa.* Haud minùs facundè lepidéque, ſuis in monimentis, id ipſum Plinius exaravit, *Cæteris*, inquit, *animantibus ſtatum & pariendi & partus gerendi tempus eſt, homo toto anno & incerto gignitur ſpatio.*

Ambobus teſtis locupletior alter, Ariſtotel. quippe (4. *de gen. Animal. c.* 4.) ἀνωμάλους τοὺς τῆς κυήσεως χρόνους, unico tribuit homini, τοῖς μὲν ἄλλοις εἷς ἐστιν ὁ χρόνος, τοῖς

δὲ ἀνθρώποις, πλείους. Hoc ipſum ſolidiùs ſtabilivit *ſeptimo hiſt. Animal.* aſſerens, τὰ ἄλλα ζῷα μοναχῶς ποιεῖται τὴν τοῦ τόκου πλείωσιν· εἷς γὰρ ὥρισται τοῦ τόκου χρόνος πᾶσιν, ἀνθρώπῳ δὲ πολλοὶ μόνῳ τῶν ζῴων. Idem demum paſſim inculcat : ſed decretoriè magis *Problematum decimo* , hominem ſancit μόνον τῶν ζῴων, πολλοὺς ἔχειν χρόνους τῆς γενέσεως, τοῖς δὲ ἄλλοις ἕνα τὸν χρόνον τῆς τελειώσεως γίγνεσθαι.

Hiſce Stagiritæ de fonte pleniſſimè hauſtis, neceſſe eſt ea uſque à capite arceſſere, non à temperamentorum, aut cœli aut ætatis varietate, quæ brutis communia nobiſcum, ſed ab enormi noſtra diæta, à *vaga* inprimis & *intemperanti libidine generandi*, quæ ut habet Ambroſius, *variam ætatem pariendi* exhibet. Sexcenti denique caſus, mille tædia, mille ærumnæ, ex improviſo gravidis incautis ingruentia, infantem alio atque alio tempore foràs accerſunt. Sola quippe mulier luxurioſè victitat, ſola *omnivola* ac *omnivora*, omnigenûm eduliorum inexſaturabilis gurges eſt. Sola imprægnata, Veneris non modò patiens eſt, ſed & appetens ac inſatiabilis. At bruta, ut periodicis anniverſariiſve amorum incentivis & igniculis concitantur incenduntur que, ſic pa-

ctis

ctis legibus excludunt. Homo autem, nec præfinitò, nec annuatim, ſed continenter, inſano laſciviæ ſtimulatus œſtro, ἀεὶ ὀχεύεται, ait Ariſt. *Probl. 46. ſect. 10.* Hocque ſuo concubitu Planetico, naſcituræ ſibi prolis, aliàs perfectos ſtatoſque fore formationis motus, labefactat atque pervertit. Nullâ itaque injuriâ Pœnos Medicos inter, Raſis & Avicenna, huic damno quadantenus obviam ituri, reſcriptis ſuis, gravidam à coïtu ſummovebant. Sed petulans libidinis intemperies & effrænata luxuria, nec habenas audit, nec patitur legem. Hinc ſagaciſſimè docet Hippocrates, humanæ fabricæ divum opus, Solibus variare, οὐκ ἐν ἴσῳ χρόνῳ πάντα διακοσμεῖσθαι, ἀλλὰ τὰ μὲν θᾶσσον, τὰ δὲ βραδύτερον, ὅκως ἂν καὶ τοῦ πυρὸς ἕκαστα τύχῃ καὶ τῆς τροφῆς. At eo variante, variabit & partus, ex proportione mira & harmonica trium inter ſe mutationum ἀξιολόγων, quæ fœtum manent in utero, *Figuratio, Motus* & *Partus*. Tempus quippe ex eodem Hippocrate, (*Epid. 6. ſect. 8. aphor. 8 & Epid. 2. ſect. 3.*) *motionis*, ut duplo *figurationis* tempus æquat, ſic terminus *partus*, triplo ſuperat terminum *motus*. Quæ ſententia ad Arabes & nos uſque tranavit; ſi igitur figurationis periodus

eſt minimè una, quidni & multivagus motionis & parturæ curſus? Qui diebus triginta figurabitur, in ſexaginta movebitur, & centeſimo octogeſimo vitalis prodibit. Qui in quadraginta effingetur, in octoginta trepidabit, & intra ducētos quadraginta vitæ compos orietur, Octimeſtris nomine inſigniendus. Hippocraticos namque menſes triginta dies explere, liquidò conſtat, *ex libello* περὶ ἀρχῶν. At octies triginta, numerum complent ducentorum quadraginta dierum, ſeu octo menſium Solarium integrè ferè exactorum, juxta quos partitudinis putanda ratio, ἄνθρωπος γὰρ καὶ ἥλιος ἄνθρωπον γεννῶσι. Octimeſtres igitur vitâ beandi, ſupinuſque eorum veternus excutiendus, qui balantum ritu, (quarum ruente præceps unâ, cæteræ ruunt) iverunt quà itur, non quà eundum, tritamque credulitatis ac vecordiæ plenam, de Octimeſtrium infortunio ſemitam, ſocordi pede calcarunt. Ii quippe Medicorum, quos primò legêre, ſententiâ ineſcati, ad ipſorum opinionem erroneis rationibus ceu tempeſtate compulſi, apud eam, tanquam apud Sirenios ſcopulos conſeneſcunt, maluntque huic erroris ſaxo, mordicùs adhærere. & præconceptam ſemel adamatam

mentem

mentem pugnaciter tutari, & ei procaciter patrocinari, quàm omni pervicacia depoſitâ, quæ conſtanter eveniunt expendere. Sed doctrinam ii ſuam, adulterinam licèt, ſinu foveant: dignemur nos, rem minimè præjudicatam excutere, & ad unius veritatis leges exigere. Nihil moremur aliter opinantium turbam, ſanabimur enim, ac à veteri falſi dogmatis fermento repurgabimur, ſi ſeparemur à cœtu, ſelectoſque bellipotentes, qui nobis inimicos gerere vultus fictâ ſpecie cernuntur, partes in noſtras, vī nullâ pelliciamus. En itaque nec unica ratio, nec auctoritas nuda, ſed & conſtans firmataque ſummorum Atlantum experientia, pro nobis militabunt; ſicque trinis hiſce triplicis æris ſcutis obtecti, adverſus tela in nos ab adverſariis contorquenda, invictiſſimi ſtabimus. Ita mihi ubiubi amica veritas, ut nullus amicior unquam, nolentem volentem, alienas ad partes aut trahat, aut alliciat. Eam ubivis tueri ut glorioſum, ſic inprimis utile: pro eâ igitur, ceu pro aris & focis, athleticè luctandum, prout Philoſophum decet alienigenis offuciis minimè prævaricantem. Eo olim pacto, in pleriſque Hygeæ momentis, adverſus Hippocratem Galenus, adverſus

Plato-

Platonem Præceptorem, univerſumque veteratoriè philoſophantium cœtum Ariſtoteles, & adverſus Medicos Gnidios ipſemet Hippocrates, iiſdem nobiſcum armis, pro veritate tutanda feliciter conflixerunt. Sed heu heu! quantæ molis erit, multis hinc retroactis ſeculis, de Octimeſtrium nece anticipatam opinionem, de tot & tantis pectoribus revellere. Adeò hæc ſupinitas animos ſopivit, ut plerique omnes, huic cauſæ indormierint ſecuri, non caventes, fœdiſſimam hanc eſſe Medicinæ labem aſperſam, inque dies ſingulos latiùs ſerpentem, nullo nunc ſmectico eluendam, καὶ γὰρ διὰ τὴν ὑπόληψιν, κἂν σωθῇ τι ὀκτάμηνον, νομίζουσιν οὐκ ὀκτάμηνον εἶναι τὸ γεγεννημένον, ἀλλὰ λαθεῖν ἑαυτὰς αἱ γυναῖκες συλλαβοῦσαι πρότερον (Ariſt. *hiſt. Animal.* 7. c. 4.) Si autem de tanta judicii anticipatione conqueſtus eſt Philoſophus, quid nunc Literarum ſortem non deflebimus? nam unà cum ſeculis ætateque hominum, hæc opinio uſque inveteravit, ut qui eam ex animis evellere ſatagit, is ceu veſanus Anticyram relegetur. Sed haud inconſulti procelloſo huic pelago noſmet commiſimus: En actuariam navem noſtram ſcientes & experientes Argonautæ regunt. Auſcultent & perpendant,

dant, fidem nobis abrogantes, ſagacis Stagiritæ placita, quibus definitè diſtinctéque deſignat, καὶ ἑπτάμηνα καὶ δεκάμηνα γίνεται, καὶ κατὰ τοὺς μεταξὺ χρόνους hoc eſt, naſci ſeptimo non modò & decimo, ſed & octavo & nono. At ne quis ſcrupuloſus vitilitigator autumet, nos noſtro commento, ipſum temerè ludificare, ad ſequelam orationis ſedulus attendat, καὶ γὰρ, addit, τὰ ὀκτάμηνα ζῇ μὲν, ἧττον δέ. Hoc ipſum, tanti naturæ rimatoris verbis ipſiſſimis ſuffulciam, καὶ ἑπτάμηνα καὶ ὀκτάμηνα καὶ ἐννεάμηνα γίνονται καὶ δεκάμηνα τὸ πλεῖστον. Subdam & expreſſiora edicta, quibus Octimeſtres vitæ compotes ſancivit, τὰ δὲ ὀκτάμηνα περὶ μὲν Αἴγυπτον καὶ ἐν ἐνίοις τόποις ὅπου εὐέκφοροι αἱ γυναῖκες καὶ φέρουσι τε πολλὰ ῥᾳδίως καὶ τίκτουσι, καὶ γενόμενα δύναται ζῆν κἂν τερατώδη γίνεται. Ubi notes velim, de mente Philoſophi, Octimeſtres vitâ donandos eſſe ubivis gentium, ſi ſub conditionibus & cauſis quæ eoſdem in terrâ Ægypto vitales reddunt, nati ſunt. At noſtris in tractibus cœli benignitate lætis, quotquot eæ ſint conditiones & cauſæ, vigent eæ omnes ἀδιαλείπτως: vigebunt igitur & Octimeſtres. Major patet ex his verbis, καὶ ἐν ἐνίοις τόποις, quibus docemur, anguſtis Ægypti limitibus Octi-

meſtrium vitam non circumſcribi, quaſi inibi locorum, prærogativâ nulli cedendâ, iis eſſet cœlitùs vita conceſſa. Ibi etenim vivunt in vim cauſarum mox prolatarum. At eædem valentiſſimæ ſunt noſtris in climatibus, quorum temperatura fertilis, parentúmque robur ac temperies proba, ſucculentuſque habitus vegetus, fœcundi energici principii, vi plaſticâ turgidi, ubertatem ſubminiſtrando, communi in vitalitatem niſu conſpirant. Cui præter hæc, in medio aut propatulo non eſt, noſtrates mulieres διεκφόρους οὔσας, ad exactos menſes uterum commodè perferre, cùm multas cernere ſit, quæ nihil damnoſi in totâ geſtatione paſſæ, fœtus ſuos auſpicatò promant in lucem: αὐταὶ δὲ φέρουσί τε πολλὰ ῥᾳδίως καὶ τίκτουσι, καὶ αὖ τερατώδη, plures negotio nullo & geſtant & excludunt partu unico, monſtrificè quaſi ſeu τερατωδῶς: mulier namque nuſquam non μονοτοκεῖ, nec πολύγονος, ἀλλὰ μονοτόκος τὴν φύσιν ἐστίν. Octimeſtribus autem vitæ uſuram ſpeciatim impertiri, ubivis terrarum præfatis conditionibus ſtipati oriantur, fidem faciunt textui prolato annexa verba, quibus haud ſimpliciter dicit Philoſophus, ἐνταῦθα μὲν οὖν ζῆν τὰ ὀκτάμηνα, ſed ſubjungit καὶ ἐκτρέφεται, quaſi

hæc ſatus eſſet, in iſtis plagis vitales non duntaxat eduntur, ſed enutriuntur & adoleſcunt, ac quantum eſt menſis octavi, ſenectutis annos, pari ac noſtri vel nonimeſtres vel decimeſtres facilitate contingunt. Hinc legere eſt apud Plutarchum, πολλοὺς ὀκταμηνιαίους γεγονέναι ἄνδρας, & apud Plinium, *tranſlatitium in Ægypto eſſe & octavo gigni, jam quidem & in Italiâ tales partus eſſe vitales, contra priſcorum opiniones.* Si in Italia, quidni & in Gallia, omnique cœlo clementi, nec algido nec æſtuoſo? Sic Orientales illæ, *Dionyſiacæ* aut *Strongylinæ* mulieres, Aſclepiade teſte, fauſtos Octimeſtres enituntur. Nolim ego, fidum hunc & luculentum eventum fabuloſitate elevaſſe: munus ajunt Naxiis datum, à matertera Bacchi, nati octavo, Lucinâ Junone ſcilicet, cui dicata Naxos.

Non defuere plures alii, penitioris Naturæ venerandi Myſtæ, qui ævo ab omni, eidem veritati fecerunt ſacra. Injurius quippe fores in veterana dogmata, ſi priſcorum cunctos uſque eò mentis lumine caſſos cenſeres, ut uno omnes ore, inſontibus miſellis Octimeſtribus mortem irrogarint. Comprobatur quippe Cæcilium vetuſtiſſimum Comœdiographum,

phum, humanarum rerum vel callentiſſimum, haud inſulſè inconſiderateque menſem octavum, à Menandro Comico Poëta præteritum, non prætermiſiſſe, ſed genitalem agnoviſſe. Nec eum temerè à multorum opinionibus deſciviſſe, Marcus Varro uti credamus facit; nam menſe nonnunquam octavo editum eſſe partum, ſcriptum reliquit. Ipſiſſimaque Gellii minùs vetuſtâ ætate, quibuſdam duntaxat, non omnibus Romæ degentibus, abortio viſa eſt, menſis octavi intempeſtivitas. Octimeſtris ergo, jampridem ἀμφήριστος, ſuis tutoribus acerrimis minimè carens, ancipitem Doctis litem intulit: Sic Cenſorinus Euriphontem Gnidium ponit in medio, cauſam Octimeſtrium contra Epicharmum acriter agentem. Plinius ipſe, diſſidium conciliaturus, inſtanter pugnaciterque ſtat à partibus Octimeſtrium; ac ubi litem judicandam digeſſit, memoratiſſimo exemplo, litigantes judicio abſolvit, Cæſoniam proferens, Caii Principis conſortem tori, quam Veſtilia genitrix, octavo proſperè enixa eſt. Ita famoſum ferunt Vincentium Pinellum, omnigenæ eruditionis virum, unà cum Cornelia ſorore gemella, perruptis octavo ſuis circundantibus aquis,

aquis, ad mundi primas oras feliciter appuliſſe, eorum matre, cum Latona de Epitheto Διδυμοτόκου, meritò contendente. Noviſſimo pariter ævo, dum Urbini, ingens ſuum de Octimeſtribus conderet Bonaventura volumen, tres octavo natos incolumes vidit. Pari inſtantiâ notarunt, Cardinalem Sfondratum, amboſque ejus filios, Octimeſtres, ſui inſtabilis ævi ſtadia plenè emenſos. Graviſſimi quique, haud ſubleſtæ fidei Scriptores, innumera Octimeſtria exempla, adamantino ſcalpro, poſteris animis inſculpſere. Aſt quid plura retuliſſe juvabit? Faſtidioſâ forem prolixitate tædioſus, ſi iis undique corraſis, mea intumeret Diatriba. *Experientiâ autem nobis duce & norma vice, omniſve demonſtrationis initio*, iſtæc è millenis pauca, inconcuſſè ſtabilient, Octimeſtres felicem vivere vitam; hacq; vitalitate beatos eoſdem, ſuſceptam impleturi abundè, de mente Dictatoris ſummi, mox pronuntiabimus audenter, frendeant licèt alii, hunc ubi luculentum Autorem, cùm Majores ſuos, tùm coævos, de Fœtuum excluſione, in quadruplicem phalangem directos, commonſtrantem adducemus. Priùs autem, quò Sparta & completior

&

Digitized by Google

& ornatior ſit, ex intimioribus Philoſophiæ penetralibus, variantis humani partus, palmaris eruenda cauſa, adverſaque doctrinæ, quam tuemur, argumenta ventilanda, ut Galenicos demum coronidem impoſituri, hac de lite, ſciſcitemur Manes.

Quæ de temporum humanæ partionis varietate, protulimus, avidum veritatis indagandæ animum non penitùs explent. Altiori igitur indagine, genuinam cauſam ex ſeminis natura multifaria, ſagaciùs odorantor. En è tritico, quod fœneratò, terræ gremio creditur, aliud citiùs creſcit, aliud ſeriùs adoleſcit: Sic humanum genitale ſperma aut temporiùs provenit, aut tardiùs ſoboleſcit, unde alios menſe ſeptimo, alios octavo, & uſque ad initia decimi, undecimique gigni, notat Plinius, memoratæ Veſtiliæ uſus exemplo, Herditii ac poſteà Pomponii atque Orfiti, conjugis, quæ ſeptimo primùm peperit, ſubinde undecimo, rurſus ſeptimo, tandem octavo partus auſpicatos, qui in viros adolevere. Ratum itaque nobis ſit, *Sole incerto hominem naſci*, tatione πολυειδοῦς κράσεως, quam à cujuſque ἰδιοσυγκρασία, vagam ſortitur ſemen; prodit namque multifariè ſic affectum,

ut

ut ſeriùs aut citiùs, in prolem vitalem matureſcat, dante ad id, manus adjutrices, proplaſticæ facultatis aut robore, aut debilitate. Hæc autem in homine quàm in brutis magis anceps eſt, ob anormem & exlegem vitæ modum, aliâ atque aliâ cælaturâ ſperma ſignantem, pro cujus vario charactere varium Natura facit, & tenore diſſono abſtruſum ſuum formationis exequitur opus. Hinc embryonum alii, vegetam plaſticen nacti, citò finguntur, citò moventur, citò pariuntur, dum alii, quibus ignavior eſt vis formatrix languidiùs figurantur, ignaviùs ſeſe volutant, ſeriùſque erumpunt in lucem. Igitur maturitas, fundamentalis eſt cauſa, partus naturalis & vitalis. At partus Octimeſtris maturus eſt. Ergo partus Octimeſtris naturalis & vitalis. Major, præter allata, ex ipſa definitione partus evincenda; perfecti quippe eſt & maturi fœtus editio, ſive fœtus eſt in utero geniti atque jam abſoluti, ſeu maturi, à matrice emiſſio. Minor ex allatis de ſeminis natura varia, ſatis ſuperque pateſcit, moxque conſpectiùs eluceſcet. Perfectio ſiquidem in partu & maturitas, vitam neceſſariò inferunt; immò unicum complementum, ſummus Hygeæ Parens aſſerit auctorem vitalitatis

quâ

quâ beatur Septimeſtris, ὅτι, inquit, μετέ-χει πάντων, ὥσπερ καὶ τὰ τελεώτατα μετέχει, καὶ μάλιστα περιγινόμενα: Quocirca rerum inter ſe pugnantium eſt conflictio, ſtatuere nobiſcum, menſis octavi fœturam perfectam eſſe atque maturam, ſed abortivam ac minimè vitalem; partui enim, perinde adverſatur abortus, ac mors vitæ, omniſque imperfectio aut immaturitas, æquè necis cauſæ putandæ, atque iis oppoſita, vitæ fontes cenſendi; ſiquidem partus, ut partus, idcircò tantum à natura formatur, fovetur, completur, completuſque editur, ut jam perfectus, quantùm in ſe eſt, modò extrinſeci nihil prohibeat, oriatur ad vitam, & actu vivat & adoleſcat, vivere ſaltem & adoleſcere queat. Perfecti enim editique fœtus propria actio, eſt ipſum vivere. At fœtus, octavo completus excluditur, ὁ σεσαρκωμένος καὶ ὁ πά-χος ἔχων αὐτραφέως, ἄνοσος διατετελεκὼς, ὁλομελίᾳ ſuâ & πανοπλίᾳ ſuâ dotatus, ſuamque σύγκρισιν ſeu τελειογονίαν, quam τελειότητα, πάχος, παχύτητα & τελείωσιν vocitant, plenè nactus: corpore enim ſolido eſt, pleno, corpulento, abſoluto, ſymmetroque, imò τελεωτάτῳ καὶ ἰσχυρο-τάτῳ, ut dixit Divinus Senex: Quidni igitur vitalis? Natura quippe, rei nullius, aut

aut fruſtra aut caſu ſatagit: ſi itaque hominem ſeptimo & octavo perficere valeat, cur illius editionem in longiores diſtrahet moras, curve conceptum ſuum jampridem ſuis numeris abſolutum, non egeret octavo, ſed tenebricoſo carcere, inſontem anguſtè coërcebit loro revinctum? quin æquius ille, διὰ τὴν τελείωσιν ἐξέρχεται καὶ μεταβάλλει τὴν γένησιν ὡς ἔχων τὰ ἑαυτοῦ, eventatione quippe egens, liberioris auræ captandæ gratiâ, fores pulſat, λύεταί τε ἀπὸ τοῦ δεσμοῦ, *colla jugo erumpit, abruptaque lora relinquit*: fœta inter hæc, ſuas partes tenens, ipſum ceu gravans nunc onus, excutere geſtit, amboque luminaria majora, ſuis influxibus maturatum eum accelerant octavo, evocantque vitâ potientem. Sic, Gratiis hiſce tribus, votis iiſdem concorditer aſpirantibus, *propitius venit ſub luminis auras*. Nec enim, uſque ſolicitè, ei formando & pariendo invigilaret Natura, quem novit mox periturum; nec rurſus excluſio in octavo aberratio eſt, aut hallucinatio naturæ malè moratæ, ſed laudabiliter ſtatoque momento agentis opus, ubi namque à fœtu pleniori atque maturo ceu graviori ſarcinâ, matrix oneratur, ea ſeſe laxat, inſurgitve ad expulſionem hoſpitantis

tantis puelli, membranis inſuper, à pleniſſima fœturæ maturitate diſtentis, hiantibus crepantibuſque. Fœtus inprimis, qui indies invaleſcit maturaturque, pelliculas quibus involvebatur calcitratu diſrumpit, & ad uterinam cervicem ſeſe provolvit. Hinc cùm à fœtu trudente, tum appellentium aquarum allunione, expleta quaſi & nauſeabunda vulva pateſcit, fœtumque octavo explodit, inoffenſo prorſus regularis naturæ ductu; ubi enim completum, cujus gratia, ἡ καθεκτικὴ δύναμις uſa eſt, natura hanc inhibet, τῇ προωστικῇ, quæ hactenus quieverat, in locum ejus ſuffectâ. Hinc qui amico priùs amplexu, fœtum fovebat uterus, eundem nunc, ceu moleſtum hoſpitem ejicit, partim quoniam pleniùs diſtendi recuſat, partim quia pondus ſupra vires continentis eſſe cœpit, partim denique ob morſus & incentiva à calcitratu valido, aquiſve, diutinâ morâ acriuſculis mordacibuſque.

Hoc negotio confecto, peroremus tandem, Octimeſtri æquè rectè ac Septimeſtri & Nonimeſtri, ſua eſſe præfixa conſtitutaque tempora, nec ineptè inferamus eum excludi, aut ante diem Nonimeſtris, vel à die Septimeſtris, ſed præſtitutâ die limitataque periodo prodire,

præſertim cùm ſit conſummatior, atq; nervoſior ipſo ſeptimeſtri, utpote altero menſe provectior; nam quandiu moratur in utero, in eodem tamdiu nervos contrahit, hæcq; ejus mora, ſatis ſuperq; determinata eſt, ut ei robur conſtet: At Octimeſtris ducentorum quadraginta dierum, diutiuſq; inhæſit natali ſuo, diutiuſq; nutritioni fuit addictus [*quatuor enim ſeptimanis, binis cum diebus, ternas ſeptimeſtris hebdomadum decurias tranſcendit*] Majus igitur conſummatiuſque robur nactus eſt, validior ergo, ac potiori vitâ illuſtrior. Nam juxta Logicorum Maximas, ſi quod minùs videtur eſſe, eſt, id quod magis videtur eſſe, erit. At Septimeſtris minùs videtur eſſe poſſe vitalis, attamen vitalis eſt. Ergo Octimeſtris vitalis erit, idque ob rationem ſuperam, Dictatoris reſcripto fulciendam, ne ſine lege loquentes erubeſcamus, παιδίον ἐν τῇσι μήτρῃσιν ἐνεὸν, ἐγκρατὲς μᾶλλον γίνεται). Magis ac magis roboratur, quandiu nidulatur & aleſcit in utero. Quî enim aliter fieret, cùm inibi tepido in foco degat, nutritioni totus incumbens, at à pleniori nutricatione majus ſano robur. Octimeſtris igitur vegetior eſt, toroſiorque ipſo Septimeſtri; ſolidioribus enim, compactioribus ac ulteriùs

formatis eſt artubus, caloremve naturâ ſuâ intenſiorem & extenſiorem habet. Minoribus tandem, à perfectiore & magis ordinaria pariendi periodo, nono ſcilicet menſe, paraſangis diſtat. Medius denique Septimeſtrem inter & Nonimeſtrem, alioſve provectioris ævi, longè conſumatos atque vivaces, conſtituitur. Eorum igitur cùm perfectionis, tum vitæ pleniſſimè conſors: Naturâ non tranſeunte citra grande nefas, de extremo ad extremum, abſq; medio eorũ participe, ἔστι γὰρ ὡς ἐσχάτων καὶ μέσον ἀμφοτέρων, τὸ μεταξύ. Quæſierim lubens, à quo principio, quæ ſeptimeſtri innata eſt vitalitas, ceſſat octavo, quæ nono redintegretur atque reſurgat? Quid pacatæ iſtius vitæ curſum interrumpit, ac tantam necis cauſam irrevocabilem interponit? An ex improviſo inauſpicatoque, ipſis incautis ſuique nimium ſecuris, vitæ filum reſciſſura, invidioſè ingruit Atropos? Hoc incongruo minimè dato, non eſt, quòd elumbem, effœtumque, ab incondito irritoque, egreſſum quæritando, ſeptimi motu, eum obtrudant. Tria enim, quæ minimè fatemur, ſupponunt. Primò, fœtum omnem ſeptimo inordinatiùs ſeſe exagitare. Secundò, moveri tunc ad exitum ſibi parandum. Tertiò deni-

que, ab ea commotione debilitari in tantùm, ut ſeminex & morti citimus, eam reapſe incurrat.

Rectè Sennertus, gravidarum teſtimonium inclamat, motus illius inſignis, certior ut fiat, nulla enim potiori diſquiſitione, id aſſequi datur. Ipſæ igitur utero gerentes, rerum quæ in imis ſuis geruntur præcordiis, acrem oculorum obtutum effugientium, fidiſſimæ nobis ſint internuntiæ. Percunctentur omnes ad unam, fidejubebit nulla, fœtum ſuum incompoſitiùs motitari ſeptimo, quàm reliquâ, à media geſtatione, temporis intercapedine. Sed ſi is motus tantus eſt, fœtum ut enecet, quî obtingit, ut matres ipſas lateat, nobiſque ſtantes ex adverſo, id ſecreti norint unici? Annon fictitiis, nobis illudere ſatagunt? Nam ſemel ac fœtus compagem ſuam completam tertio vel quarto menſe valentiorem adeptus eſt, moveri & calcitrare geſtit, moveturque, & calcitrat reapſe, juxta robur quod nanciſcitur. Hinc prout placidè aut irrequietè, ſuis in clauſtris degit, ſic hàc & illàc ſeſe provolvit atq; volutat, membra quoquoverſum impellens, corpus contorquens, ſeſe inflectens, gyrans atque regyrans, undoſo ſuo ſubſterniculo innatans,

tans, umbilicalem ad funem alligatus, quo ceu loro aut habenis ductus, in equorum quaſi domitûs palæſtrâ expatiatur lætus, ſuique aliàs crebrioris, aliàs inſolentioris, aliàs remiſſioris, aliàs vehementioris ſigna dat calcitroſus. Aliquem itaque motum, ſeptimo fieri, ultrò cedimus, ſed eum ſeptimo addictum & peculiare conamen eſſe ad egreſſum, conſtanter inficiamur. Natura enim nihil facit ἀλόγως, nihil ſibi in perniciem cudit, nec ſibi ipſi malum cacat, ſed quicquid molitur finis gratiâ bonique molitur: Cur igitur, qui naturâ vel Octimeſtris vel Nonimeſtris eſt, definitum ſibi tempus prævertens, ſponte ſuâ & Marte ſuo, exitum ſeptimo tentat, in idque valentiſſimè colluctatur? Si enim conatu excidit, *magnis excidit auſis*, & fruſtraneam egreſſionem aggreſſus eſt, ejuſque rectrix natura, quæ conſilio quaſi ducitur, laboravit incaſſum. Si prodit in lucem, moriturus illicò prodit, utpote infra maturitatem ortus. Ejus itaque ab utero ſeceſſio, à naturæ tramite deviaret, ac conſequenter Natura præter naturam ageret, quod contradictum evidens involvit. Dixerim aliter, ſeptimo movetur, aut maturus, aut immaturus movetur;

tur; ſi maturus, indubiè exit ſeptimeſtris & vitalis, fruſtrà enim, immò noxiè, maturatum eum, exitu interdiceret Natura, auſpicatum ejus, nonum in menſem protollens adventum: Si immaturus, cur denuò inſtem, natura movet, curve eum ejicere nititur, quem ſemel admiſſum ſinu debet & ulteriore & interiore fovere. Iniqua foret noverca, ſi cum fœtibus ſuis, præmaturè & præpoſterè ſic ageret. An non inſuper rari ſunt ſeptimeſtres: Septimo ergo rarenter exitum tentant, abhorret enim moderatrix Natura, fine fuſtrari toties. Si rari exitum tentant, pauci ergo peribunt Octimeſtres, cùm pauci hanc ſecum, necis ſuæ cauſam circumferant, effœtas ſcilicet vires atque profuſas, in conamine illo caſſo quem fingunt. Conficiamus ergo, ſeptimi motum, minimè deflectere ab alterius temporis intermedii motu, totius enim geſtationis decurſu, uti retuli, ſuis motibus infans jactatur in horas, modò plenius atque tumidiùs, modò compreſſiùs atque ſummiſſiùs. At tantùm abeſt, ut ab eo enervetur motu, qui converſio levis eſt, & libratio quaſi fœtus ab umblico pendentis, adeò placida, ut longè quàm ipſi puello jam valenti & vivido ac plenè formato, tædium ullum

 creet,

creet, quin eundem viribus auget & firmat, nã operatio potentiæ perfectiva eſt. Igitur ubi primùm, à natura conceſſa eſt motiva facultas, ſingulis non modò menſibus, ſed & ſeptimanis & diebus ac horis, movetur fœtus, hocque motu ſuo, quam nactus eſt perficit potentiam, eandemque iteratis actibus roborat, habitum inde vegetiorem ut contrahat, ad ulteriorem nervoſioremque motum, ἡ γὰρ κίνησις κρατύνει, ut penitiſſimus crypticæ Naturæ ſcrutator Galenus, Dictatorio placito ſancivit. Sed prærogativâ, non niſi de juris redundantia, cedendâ, demus fœtum omnem à motu ſeptimi aliqualem incurrere calamitatem, & tempore egêre ut recreetur, an idcirco hæc noxa, uſque infeſta & damnoſa erit, ut omnes ex æquo perimat? nonne quis vivacior cæteris, impendentia damna ſecurus declinans, vires citiùs reſumens, Octavo menſe, vividiore ac ſpontaneo niſu, viam ſibi ſternet, ut ſcenicum hoc mundi theatrum vivax conſcendat? Inſuper his, motus etſi quietem expoſcat, an illicò quadraginta dies exiguntur ad vires refocillandas? Unde nam amabo, hunc præciſè numerum expiſcati ſunt? An ex abyſſis myſticæ Naturæ reverſi, tantas in moras, nullo libamine

decur-

decurtandas, cum ea pacti ſunt; An piaculum erit fœtui, nonniſi morte piandum, hos quadraginta dies morboſos non explere, ſed morbo hocce ſuo, ceu perperacuto, ceu peracuto, ceu acuto ſimpliciter, citò defungi, ac vel ineunte, vel medio, vel exeunte octavo, vitalitate ac robore plenum ſeſe pellere in lucem? Nonne ex ipſomet Hippocrate, de hoc numero dierum morbidorum ambigitur, *οἱ μὲν γὰρ μᾶλλον, οἱ δὲ ἧττον πονοῦσι.* Rurſus ſi quadragenario integro egent, vires ut collapſas reſtaurent, vel eos penitùs feriari neceſſe, ac tandiu quieſcere, quandiu hæc,

Dulcia ſollicitæ geſtabunt pignora matres. Quod experientiæ diſſonum eſt; aut ſi moveantur denuò, cùm in dies ſingulos, validioribus, conſequens erit, ut vel hiſce identidem ingruentibus damnis obruti ſuccumbant, vel novos in æternum quadraginta dies, ad ſui redintegrationem exigant. His auctarium adjiciam, omnes ſeptimeſtres debere perimi, quia ipſis attritis ac ſeminecibus novus acceſſit labor, partus nempe, cui ferendo impares occumbent. Priori enim ſuâ calamitate ægerrimè depulſâ, graviori hac inſurgente, nullo negotio delerentur.

Aliud eſt & tantæ molis ſuperpondium, fœminis mares citiùs formari, citiùs moveri, citiùs edi: Κινέεται πρῶτον τὸ ἄρσεν καὶ πρῶτον πήγνυται, (Hipp. *de Nat. pueri.*) vel cum Philoſopho, (*De Generat. Anim. lib.4. cap.6. ubi bina hæc loca quæ conjunxi, legere eſt.*) κινητικώτατά ἐστι κυούμενα τὰ ἄῤῥενα τῶν θηλέων, ἐν μὲν γὰρ πλέονι χρόνῳ διακρίνεται τὸ θῆλυ τοῦ ἄῤῥενος. At fœmellæ complures, initio noni, vitales pariuntur, multi igitur mares, exeunte octavo, vel appetente nono orientes, vitâ potientur. Nam cùm ex loco adducto, *Epid.6. ſect.8. partic.8.* motus fœminæ, tardior ſit motu maris, dies circiter ſex, ſi tempus partûs, ſit triplum temporis motus, & fœmina naſcatur vel ineunte vel medio nono, vitæ longævæ, quidni & mas in octavo naſcetur longævus?

Adverte tandem, ſummum Coum, omnes ab illo ſeptimi motu, malè affici, minimè cenſuiſſe: nam quicunque ægrotat inquit, (*lib.* Περὶ γονῆς) κατὰ τὴν ἰσχὺν ἑωυτοῦ νοσεῖ. Ergo qui neutiquam ægrotarunt ſeptimo, vivent Octimeſtres. Vivet & qui ægrotavit, ἢν μὴ σφόδρα νοσήσῃ (ex *lib.* Περὶ ἑπταμήνου.) Sed pro virium modulo, ſicque à morbo ſuo citò liber, integrâ virtute ſibi radicali, vivaciſſimus prodibit octavo.

Labe-

Labefactato, dirutoque hoc ſingulari fundamento, reliqua ex ſe jam ruinoſa, collabi neceſſe eſt. Pythagoricorum quippe & Aſtronomorum rationes, ab ipſiſmet iniquioribus mortis Octimeſtrium Judicibus exploſæ ſunt, nec eſt quod in iis ſugillandis fuſi ſimus.

Res ſanè permira, fœtum numeris uſque addictum eſſe, ut fatis concedat naſcens die Octavi ultimâ, ita ut inverſo Senecâ, *non primus dies, ſed ultimus det extremum, noni autem primâ victurus egrediatur*: Perbellè enim inquiunt, at non probant, menſem incipientem, aut etiam περιπλόμενον, necdum confectum ſed affectum, cenſeri completum. At dicant fide optimâ, quid tantula morula, beneficii fœtui contulerit? Egregia ſanè diecula, *albo notanda lapillo*, quæ ſic inauſpicato vitam fortunatè impertiat.

Si numerorum rationem ſubducere lubeſcit, imparem unice numerum, naturæ in deliciis haberi, intrepidâ fronte reluctabimur: nam *ludente naturâ par impar*, ἀρτιαζούσης τῆς φύσεως, hocque ἀρτιασμῷ gaudente, omni die, æquè pari atque impari, felices obtingunt & criſes & partus. Id ſidus rerum

eventus iis luculenter commonſtrat, qui nec fabulis nec dictis aliorum circumveniuntur. Quem Pythagoreorum fugit, *ſexto qui tyrannus eſt, multos judicans vel ad ſalutem, vel ad mortem*, haud inſolentes eſſe criſes? Quem rurſus latet, decimeſtres partus longè ſuetos eſſe; Pro ſuperpondio enim, ſi numerorum vim ullam expendamus, numerus decem, præcellenti nobilitate, cæteris excellit, hunc quoniam numerando ſemel adeptis, non datur plus ultrà, niſi ad monadem denuò confugere adigamur, quæ μονὰς duplicata triplicatave per dena vagatur in immenſum. At ne vel latum unguem recedamus à numero octo, nonne is quatenus eſt quantitas diſcreta, prorſus otiatur, vi penitùs orbus, aut ſiquâ energiâ pollet, ob perfectionem quam intra ſe includit, utpote conſtans unitate, & numero ſeptem, proindeque Pythagoreis ad *Iuſtitiam* dicitur: Primus enim omnium ſolvitur in numeros pariter pares, hoc eſt, in bina quaterna, ſingulique quaterniones rurſus bipartitò ſcinduntur in bis bina. Binis igitur quadratis cubis, inconcuſsâ ſtabilitate ſtantibus, ſolidè conſtat, quatuorque ſimpliciſſimis numeris combinatur, quater ſcilicet,

licet duobus, qui duplum quaternarium conficientes, numerum pariunt octo, Naturæ & gratum & tritum. An non tandem, Octoni menſes Solares, numerum ſeptem, quater ac trigeſies, binis cum diebus, tranſcendunt, tertiamque anni partem ſecant æqualiter, ac binos anni terminos explent, quæ dichotomia eburneo ſtylo notanda.

Explodendi exibilandique & inſulſi Aſtronomi, cum ſui Saturni imperio, Octimeſtribus inprimis ominoſo. Demus gratuiti, regnante Saturno, nullum proſus malevolum ejus eluctari aſpectum, igitur ubi alius Erro, & conceptui & nativitati dominabitur, nulli in vim ſideris ἰοβόλου, Octimeſtres licèt, hæc fatalia damna ſubibunt: At alii ſex Errones, alternis ordinibus regunt, beantque ſub ſe natos; Octimeſtres igitur, qui ſub iis naſcentur, vitæ delicias carpent ſecuri. Verùm, cùm ii ſint ſex, omnes παιδογόνοι, præ uno Saturno παιδοκτόνῳ, neceſſariò deducitur, ſexies plures Octimeſtres, fato functis ſuperſtites eſſe, quàm qui fato concedant. Immò & plures, quàm ſexies tuti ſupererunt, nam reliqui Planetæ cùm ſint magis benefici, magiſque prolifici ipſo Saturno, inde obtingit, ut plurimi, & concipiantur,

tur, & pariantur Octimeſtres ſub ipſis ſingulis quàm ſub Saturno.

Sed rurſus, nonne abſurdum aſtruunt, dominium Saturni in omnes conceptus, ac in omnes natos octavo? Suppono Hippiam concipi hodiernâ hac aurorâ ſub Saturno, Calliam pariter concipi cras ſub dominio eodem, an qui deinceps centeni, & milleni in infinitum, menſibus ſequentibus concipientur, fatali ſubjacebunt Saturno? At quandonam alii Planetæ, imperium tenebunt? Quaſi verò præ Luminaribus majoribus, mereretur ille ſceleſtus, ſummo imperio portiri, cæterique Errones, omnes ad unum, de cœlo quaſi deducti, nihil aliud quàm Saturni ſolium ſuſpiciant ac veluti Numen adorent! An qui formantur puncto temporis eodẽ, excluduntur ideò, eodem in intervallo? an non ubi ſexcenti in orbe, temporis hoc minuto pariuntur, ex ipſis alii Septimeſtres, alii Octimeſtres, alii decimeſtres, alii undecimeſtres ſunt; quî fit, ut nefandus ille Planeta, nec alios enecet, ſed unicos Octimeſtres, qui pari inſtãti orti ſunt cũ aliis quos ſpirare ſinit? Si ſuis maleficis qualitatibus, fœtibus inimicatur, omnes ex æquo, non verò Octimeſtres cũ delectu de medio ſublaturus eſt. Rebus deinde hoſtiliſſimi Syderis,

ris, conſultius foret, tenelluli ac minutuli embryonis primordiis obeſſe, quā provectiorem vegetioremve, naſcentemq; orbare conceſſæ lucis uſurâ. Sed æquale crimen eſt, impedire hominem naſci, ac natum interficere. Rem expeditiùs exequar, dicendo, qualitates eas incompertas & deleterias, è ſapientiorum Scholis, ſibilo cachinnoque exceptas, jampridem exulaſſe. Quin beneficæ ejus, Poëticis encomiis, altè intonuere aureo ſub ſæculo. Superſunt igitur frigiditas & ſiccitas exulandæ quibus vitæ adverſis, naſcentes ac vixdū natos Octimeſtres peſſundat. Sed nonne permulti, validis vitæ principiis dotati, hoc eſt, valentiſſimus calore nativo, & humore radicali perfuſi, repugnantes iſtas qualitates infringent atque domabunt? Etſi deinde laudabilia uſque vitæ principia minimè nacti ſint, nonne qui ex ipſis, æſtate vigente & urente Sirio naſcentur, calore hoc cœlitùs adjuti, inimicas illas qualitates ita retundent, ut Octimeſtris æſtivus vivacior ſit Nonimeſtri brumali? Denique, an non noſtris in Climatis temperatioribus, calidior humentiorque aëris conſtitutio, Octimeſtribus favens, eos tutabitur à noxioſis peremptorii Syderis influentiis? Nati itaque ſub

Satur-

Saturno, non omnes, primum ſumul cum extremo, diem ſuum claudent, ſed debiliſſimi quique, rigentiſſimaque hyeme ſati. Verùm generaliùs liquet, quàm abſonum ſit, cuilibet Octimeſtri, nondum formato, ſed bullanti adhuc, vixdumque ſalienti, veneficum præeſſe Saturnum, octavo rurſus menſe, ubi fœtus idem, carceris ſui fores perrumpens, prodit in lucem, deleterio influxu regnaturum. Vita deinde medio ſtat in concurſu plurium cauſarum, nec uni infido & truci Saturno creditur.

Sic vident contrariæ ſententiæ Fautores, nec ſui eſſe diſpenſare dominia cœleſtium globorum in hæc infima, nec cœleſtes Orbes, litem inter ſe movere, aut de moderandis regni habenis, aut de iis, vel Saturno committendis, vel eidem ſubducendis, alternis quippe luminibus, inoffenſo nec uſpiam interrupto curſu, hanc fermentant, fœcundantque terrarum molem.

Sic inſuper, altiſſimâ nocte eorum lucidiora dogmata involviſſe videor: Meâ nunc intereſt, ſtando promiſſis liberare fidem, adducereque Hippocratem, luciſſimam meæ (*libro* περὶ τροφῆς, ubi quadruplicem Veterum, tentantium definire terminos partus in utero, mentem detegit),

git) de Octimeſtrium beatitate ſententiæ, facem præferentem. Aliis inquit, ἐς τύπωσιν λέ ἠέλιοι, ſive dies 35.

ἐς κίνησιν ό, ſive dies 70.

ἐς τελειότητα σί, ſeu dies 210.

Hoc eſt, tres hebdomadum decades, ſeu ſeptem menſes tricenarii: Solares enim, aliquot minutis dies triginta ſuperant, quod notes velim, ne quis argutulus ἀκριβολογῶν dictis te ſubducat.

Aliis, ἐς μορφὴν μέ, ſeu 45. dies.

ἐς κίνησιν ός, ſeu 76.

ἐς ἔξοδον σί, ſeu dies 210.

Aliis, ἐς ἰδέην ν', ſeu dies 50.

ἐς πρῶτον ἅλμα ρ', ſeu 100.

ἐς τελειότητα τ', ſeu 300. hoc eſt, menſes 10. exacti.

Aliis demum, ἐς διάκρισιν μ', ſeu 40. dies.

ἐς μετάβασιν π', ſeu dies 80.

ἐς ἔκπτωσιν σμ', ſive dies 240.

Qui terminus, Octomeſtrium eſt, octies enim triginta dies, numerum explent ducentorum quadraginta dierum vitalium, ut hæc Veterum ſententia luculentiſſimam fidem facit.

Conſilii totius rationem exponam. Subolebat mihi ab ipſo limine, enorme hoc naſcendi tempus, cujus cauſas, Spartam ornaturus, ſedulus quantum in me fuit,

per-

perveſtigavi: Nunc meminiſſe juvabit, ſupremum legum noſtrarum ſancitorem, exigere Medicum πρὸς λόγους αὐστὸν; ſanctionis ipſe tantæ memorabile exemplar, orationis & varietate & venuſtate locupletem ſe præbens, variis hîc terminis, ſignificatu pollentibus eodem, delectatus eſt. Res tota in opimam hanc ſegetem demetendam, mox immiſsâ falce, magis perſpicuè pateſcet. En à fronte obvium eſt, Hippocratem quater loquuturum de figuratione ſeu conformatione, & delineatione ac diſcrimine partium embryonis, quatuor ſignificantiſſima verba, quæ eodem coincidunt, uſurpaſſe. Τύπωσις quippe quam alias τὴν περὶ τὴν πῆξιν nuncupat, in eandem nominis ſignificantiam cum μορφῆ, ἰδέη & διακρίσει revolvitur. Sic quater expreſſurus motum ſeu ſaltum, vel trajectionem, & ſedis mutationem ac migrationem, quaſi fœtus, ab una uteri parte in aliam, bis uſurpavit τὴν κίνησιν, cui ejuſdem vis, bina alia ſubjunxit, περὶ τὸν ἅλμα & μετάβασιν. Tandem, *exitum* infantis ab utero, ſeu *partum naturalem*, quater quoque expreſſurus, bis revocavit in uſum, τὴν τοῦ ἐμβρύου τελειότητα, *perfectionem fœtus*, quia partum, eam neceſſe eſt conſequi, ut pleniùs mox innoteſcet:

Huic,

Huic, τὴν ἔξοδον combinavit univocè, exitus enim infantis ab utero, naturæ ſymmetræ periodicis ſanctionibus gaudet, proportionantis triplò tempus partus ad tempus motus. His binis τῇ τελειότητι καὶ τῇ ἐξόδῳ tertiam ſynonymam ſubdidit, ἔκπτωσιν ſcilicet, oſcitantium interpretum ſcandalum, & offendiculum. Miſſis multorum quiſquiliis, περὶ ταύτης λογομαχίας, hanc ἔκπτωσιν ritè & concinnè ab Hippocrate, ſagaciſſimo ſuæ acumine mentis, rei naturam penitiſſimè contuente, exaratam profitemur. Nam haud ſecùs ac fructus ab arbore pendens, maturitate gravis, plenus, & diſtentus, extremo ſuo retinaculo ſeu pediculo, à ramo cujus nunc pars fuit, prolapſurus humi, ſeſe ſejungit ac liberat; ſic fœtus, maturitatem octavo, ſeu terminum aſſecutus, ab utero, cui ceu caudici adhærens, amicâ copulâ vinciebatur, laxatur undique, ſponteque labitur, ἐκπίπτει nempe, hoc eſt, decidit, vel cadit, naturæ minimè violatæ nutu, hunc naturalem partum, ipſi nunc ἀλλότριον καὶ μοχθηρὸν ἄχθος, promoventis & quadantenus ejicientis. Ἔκπτωσις itaque, hîc ſonet idem ac τελειότης καὶ ἔξοδος, quæ naturali tantùm & maturo vividoque fœtui apprimè quadrant. Hanc veritatem illu-

illuſtro Galeni contextu *lib.* 15. *de uſu partium*, ubi loquens de partu naturali, τὴν ἔκπτωσιν uſurpat: Unde luce meridianâ clarius eſt, eam vocem apud Græcos optimè audiviſſe ad ſignificandum partum merè naturalem.

Quid igitur malè erudito ſuſurro, nobis obganniunt, Hippocratem *ibi loci*, Octimeſtribus inimicari, cùm è contra, nullibi amicior, vitales eos expreſſiùs ſanciat; his namque quatuor in recenſendis modò prolatis ſententiis, totus eſt naturali, tritæque naturæ periodo addictus, totuſque in iis quæ obtingunt naturæ bene moratæ ductu. Ἔκπτωσις ergo, ceu *abortus* minimè audiat, ut perperàm vertunt plerique. Nec ſuum nobis inargutè, Sabinum, Ialemo frigidiorem, textum hunc lævam in partem (ut ſupinum ſuum errorem, à tanti Judicis ore & criminatione tutetur) detorquentem obtrudant. Nullibi ſiquidem Sabini verba, in Hippocraticis aut excuſis aut Manuſcriptis Codicibus legere eſt. Sed ea qualia leguntur, aureo licet ſtylo exarata, oſcitanter & ſecurè à Sabino ejuſque ſequacibus plurimis, lecta ſunt. Unde mirari non ſubit, tot viros etiã graves, ſpecie recti deluſos, à Sabino ceu ab igne fatuo, in

avia quæque deductos, in erroris barathrum, ſeſe, nullâ machinâ revellendos, præcipites dediſſe, combinando ſejungenda, & ſejungendo combinanda, nam quod ſubtexuit Hippocrates, οὐκ ἔστι, καὶ ἔστι, indoctè copulant cum præcedenti oratione extrema, quaſi legeretur, ὀκτάμηνος-γόνεσις οὐκ ἔστι καὶ ἔστι. Verba enim hæc, οὐκ ἔστι, καὶ ἔστι, integrum ex ſe ſenſum complent; quòd ſi aliis conjungenda eſſent, ſequentibus, non verò præcedentibus copulanda forent. Iis autem, optimo inſtituto docere ſatagit Hippocrates, unamquamque à ſe prolatarum opinionum, *eſſe* & *non eſſe*, ſeu *interdum veram eſſe*, *interdum verò falſam*, quòd enormia ſint naſcendi tempora. Circumciſiori verborum brevitate, Dialecticè dixerim, has quatuor propoſitiones non eſſe *neceſſarias ſed contingentes*, aliàſque *ita eſſe*, aliàs *non ita*; Quòd autem hac anſâ capiendus veniat, evincimus ſequelâ, quâ monemur, hos naturæ terminos multifarios eſſe, nec æternæ fidei cenſendos, aliaſque pro multimodis ſui partibus, *figuratione*, *motu* & *partu*, longiùs decurtari. Quoquo autem modo eveniat, inquit, nec multùm haſce Natura periodos prætergreditur, nec multùm infra ſubſiſtit, ſed tota hiſce carceribus

ceribus limitata, & coërcita metis, ſtadia ſua tanquam in decurſorio emetitur, γίνεται δὲ ἐν τούτοισι καὶ πλέω καὶ ἐλάσσω, καὶ ὅλον, καὶ κατὰ μέρος, οὐ πολλὸν δὲ πλείω ἢ ἐλάσσω. Sic alibi verba faciens περὶ τῆς πρώτης πήξεως, (*lib.* περὶ φύσ. παιδίου) quæ aut quadraginta duobus, aut triginta diebus fit, ὡς γὰρ, ſubdit, ἐπὶ τὸ πολὺ ξυμβαίνει, ἐν τουτέῳ τῷ χρόνῳ, ἢ ὀλίγῳ μείονι, ἢ ὀλίγῳ πλέονι ταῦτα διαρθροῦται. Ibidemque loquens de *motu* & *formatione*, eundem inculcat multivagum naturæ curſum, ὡς ἢ γὰρ, habet, ἐπὶ τὸ πλεῖστον ξυμβαίνει.

Nec quæſo, operoſâ manu, Hippocratem verſato, ut ipſum ab hac quam nobis edicit Priſcorum ſententia, diſſentientem exprobres, ſi namque *Octimeſtribus fuit infenſus*, id circumſpectè provideque egit, *ſcena ut inſerviret.* Genium enim noverat Græcarum mulierum, quas de Octimeſtrium infelicitate teſtatur, quæ οὔτ' ἔργῳ οὔτε λόγῳ πείθονται, ſed à ſe notata venditant & obſtinatè tuentur. Hinc quoniam penitiſſimis earum medullis, præconcepta hæc de Octimeſtrium calamitate uſque eò inſederat opinio, ut ſuperſtitem omnem Octimeſtrem, matre inſciâ conceptum dejerarent, noluit vir prudens & cautus, adverſis cùm maris fluxu,

xu,

xu, tum vento, explicare vela, ſeque æſtuoſo ac procelloſo permittere mari, ſeſe, ut tantæ notæ, tantæque fortitudinis virum decuiſſet, ſuâ fretum μεγαλοψυχίᾳ, protritæ illi quæ vagabatur opinioni, ex adverſo conſtituendo. Sed cùm in Græcia plurimos cerneret Libitinæ immolari, dùm in Ægypto triviales obambularent, indagat ſedulus cauſam infortunii eorum, qui tam præcoci fato abripiuntur, & binas eſſe autumat κακοπαθείας à nobis elevatas, quas identidem perpeti haud ſuſtinent tenelluli.

Aliud etiam momentum Dictatorem impulit, ut in Octimeſtres inveheretur, numerum quippe ſeptem impenſè laudaturus, evincere aggreditur, ἀνθρώπου αἰῶνα ἑπτήμερον εἶναι, καὶ ἕκαστα ἐν αὐτῷ, ἐν ἑπτὰ διοικεῖσθαι, grave idcircò pondus, dictis acceſſiſſe ſecum reputat, ſi octonarium extenuet, natoſque octavo repudiet. Verùm ubi rem ex profeſſo perpendit? *Mulieres in geſtatione putanda univerſim falli*, ad ravim uſque proclamat: Cur itaque eas tantùm deceptas; criminoſè & ſuſpicioſè dicunt, quæ vitales octavo ſe peperiſſe jurejurant, illas verò minimè deluſas, quæ hoc ipſo menſe Parcis vovendos excluſiſſe rentur. Dicam ego, vicem rependens, totâ eas errare viâ, quæ nono putant parturiiſſe vitales, quos octavo peperere. Equidem ſancit *medendi Conditor artis*, nefas eſſe ἀπιστεῖν γυναιξὶ περὶ τῶν τόκων, ſed edicti ſui veritatem labefactat, fidem derogans mulieribus aſſerentibus naſci undecimeſtres. Quidni igitur fidem non detrahemus iiſdem putantibus fœtus emori octavo, præſertim cùm eæ ſint, confeſſore Hippocrate, ἄπειροι τούτων τῶν λόγων καὶ τῶν πρηγμάτων. Ne itaque eaſdem in anſas, cum Bonaventura veniamus, neve ipſis Φιλιπποκρατείοις fucum faciamus, largiamur quod res eſt, *Dictatorem* nempe *Octimeſtribus ominoſum fuiſſe*. En ejus Manes, (quanquam infra vota noſtra) februabunt Galenici Genii, legere quippe eſt, *lib. 14. de uſu part.* τοῖς [illegible]οις ἐπιγίνεσθαι τὸ γάλα, ὅταν μάλι.

μάλιστα τέλειον ἤδη τὸ κύημά ἐστι , ac rurſus (*Ibid. paulò infrà*) τελειωθέντων τῶν ἐμβρύων καὶ τὴν τοῦ γεννᾶν ὥραν ἀποβαλόντων, συνεξαίρεσθαι τοὺς τιτθοὺς ταῖς ὑστέραις. Rurſus tandem (*comment. 5. in Aph. 39.*) μαστῶν ἀναίμων τε καὶ λευκῶν ὄντων, τὸν οἰκεῖον χυμὸν πλεῖον ποιοῦσι ὅταν ἐπιῤῥέῃ τροφὴ πλείων ἐν αὐτοῖς, πλείων δὲ ἐπιῤῥεῖ κατὰ τὸν ὄγδοον μῆνα τῆς κυήσεως. Achilleum hinc argumentũ formato, Lac gignitur in mammis, ubi fœtus perfectus eſt, pariendiq; tempus inſtat: Atqui lac gignitur Octavo menſe: Menſe igitur octavo fœtus perfectus eſt , pariendique tempus inſtat. Præmiſſarum utraque ex reconditiſſimo fœcundiſſimoque Galenico pectore deprompta eſt: Igitur & concluſio ex iis elicienda. Iam ſi fœtus perfectus eſt octavo , inſtatque ejus partus hora, maturum illum ac vitalem prodire & poſſe & debere nullus ſanæ mentis , ni ſi contumelioſus & pervicax, inficias iturus eſt. (*Ariſt. hiſt. Anim. 8. cap. 5.*) ἅμα γὰρ τά τε παιδία γόνιμα, καὶ τὸ γάλα χρήσιμον.

Quòd ſi inſtes, Octimeſtres vitales equidem eſſe, ſed minùs vivaces Nonimeſtribus ipſis , tuam in ſententiam ſupero Philoſophi ductu, ultrò pedibus ire delectat, (*loco nempe citato ex 4. de Gen. Anim. cap. 4.*) ὀκτάμηνα ζῇ, ἧττον δέ. Evicimus quippe, longè alacrius ætatum ſtadia eos decurrere, qui in uterinis ſuis præſepibus , diuturniori morâ, nutricatui & robori intenti, ſtabulati ſunt.

Huic ex ipſiſſimo puteo erutæ veritati, ſymphoniaci Polybus atque Diocles , rerum haud inſipidi delibatores, (ex *Plut. 5. de plac. Phil. cap. 18.*) τὸν ὄγδοον μῆνα ἅπασι γόνιμον, ἀτονώτερον δὲ πῶς. Sic Philoſophus ipſe, acerrimus Octimeſtrium vindex, prolatorum in hujus Diatribæ veſtibulo ritè memor, πονοῦσιν, ait, αἱ γυναῖκες μάλιστα τὸν μῆνα τὸν ὄγδοον, καὶ ἐὰν διαφθείρωσιν ὀγδόῳ τῷ μηνί, τὰ ὀκτάμηνα οὐ ζῇ. Ejus circumciſus interpres Plinius, *Gravidis* , inquit, *octavo menſe maximus labor, lethaleſque in iis abortus*. Quibus meher-

meherclè, ambo hi primæ meæ aciei Primipili, necem Octimeſtribus inferri, lubentes volunt. At ſoſpites eos priùs tutabantur. An unâ ii fronte tutelarii, alterâ ſicarii? Apage eos, ſi ſic iniquè ſuas móventes tragœdias, hoſce poſt ſiparia trucident, quos propalàm claré plauſerant. Hinc memet ut expediam, nec in eo quod expeditum eſt, ceu in ipſo ſcirpo, nodum quæram, totam ego componam litem, ac ſecum ad ſpeciem diſſidentes, in gratiam reducam, duplices (colophonem additurus) Octimeſtreis ob oculos ponendo, (ex *Hipp. lib. de nat. puer.*) *Eſſentiales* alios ſeu *Spontaneos* & *per ſe*, qui nempe, ſèmine ſponte ſua, *ἢν μή τι αὐτῷ βίαιον πάθημα παραπέσῃ*, octavo matureſcente ſati ſunt: *Accidentales* alios ſeu *Symptomaticos*, & *ex eventu* ſeu *à caſu*, qui nimirum ob *βίαιον πάθημα*, interturbatæ naturæ fœturæ ſunt ac *πρόσθεν τοῦ ὁρισμένου χρόνου*, impulſore malè proſpero, præmaturè depulſi. Fide igitur indubitata, partus omnis, à ſanis vegetiſque parentibus prognatus, ſeſe octavo, unius naturæ, inſtigatione pellens in lucem, ſalvus & incolumis reputetur, quantùm ſcilicet ſpectat ad vim Vitalitatis à partione ſoboleſcentem, nam aliunde quid vetat, ipſum concedere fatis, pari infortunio ac ſeptimeſtres, nonimeſtres & ipſi? De his *αὐτομάτοις*, priora feliciaque & fauſta Scriptorum placita leguntor. At ubi contraria vice, criminoſoque eventu ac nefariâ *παραφάσει*, regularis ſtataque partio diſturbatur, quid mirum, interruptæ ac violatæ naturæ fœtum, octavo intercidere? intercidit & univerſè, nec uſpiam ſoſpitatur vi ejectus. De his unicè, non de aliis, poſteriora, damnoſaque & peremptoria, in miſellos Octimeſtres à morte redimendos decreta, quotquot ea ſint primitùs expedita, promulgantor. Qui itaque, ut reſumam ſimul & perorem, ex ſe & intrinſecè nono naſciturus eſt, aliunde & extrinſecè, octavo ſi paritur, inauſpicatò & ominoſè paritur. At quilibet octavo naſcens, à principio ſibi intrinſeco, omnibus externis, (malis avibus perſæpe advolan-

volantibus) longè ſemotis, fauſtiſſimo ac auſpicatiſſimo partu, ſanitate ſarta tectaque excluditur. Hanc frugiferam ſegetem ex Hippocraticis arvis lætus demeſſui, ὅσησιν, (inquit *Epid. 6. ſect. 8. aphor. 6. & Epid. 2. ſect. 3.*) οὐδὲν εἴσω τοῦ πεταγμένου χρόνου, ἑκάστησι τὰ τικτόμενα ἀπόγονα γίνεται. Summis igitur cautionibus ſibi proſpiciant gravidæ, nocivis ut cunctis procul ablegatis, puerulus maturitatis ſuæ captando momento (quo tragicam hanc in vitæ ſcenam ſeſe producat) totus incumbat. Maximæ quippe molis eſt, animal cæteris imperaturum, frivola origine ſatum, propitio enixu in lucem promi. Is enim, ludicræ fortunæ & alumnus & partus, ventris alveo concluſus, ſexcentis in horas caſibus veluti fluctibus obruitur. Vſque deploratiſſima ſunt ejus primordia, ut inconſtans unius ludibundæ materculæ arbitrium ad omnia præceps, momentanea ruina, ea ſubvertat.

Excuſſa nunc omni ὑπολήψει, compertum fiat animis temperatis, *haud inſolentes eſſe vitæ longævæ tenaciſsimos Octimeſtres.* Experimentis gravia ſuffragabuntur rationum momenta, quæ non modò hoc ipſum dogma inconcuſſum ſtabiliant, ſed ei in ſpeciem adverſa funditùs deleant. Autoritatibus tandem ſi lis dirimenda, aut jurejurando controverſia diſtrahenda, an non juridicè Hippocratis Majores & Coætaneos, Galenum ipſum, Ariſtotelem, Polybium, Cæcilium, Varronem, Plinium, Augenium, Bonaventuram, Zacchiam, Schenckium, Acaranzam, cæteroſque, optimis auſpiciis, veridicos fatorum augures, fidoſque nobis Octimeſtrium vitæ & ſponſores & fidejuſſores, toti tumultuariæ in Octimeſtres furentum turbæ fortiter oppoſuerimus? Huic igitur Experientiæ, Rationis, & Autoritatis ſacratiſſimo veluti Tripodi, fatidicæ ſuperpoſitæ Phœbades, genuina φῶτα βίου, veriſſimè vaticinabuntur,

OMNEM SPONTE NASCITVRVM OCTIMESTREM FORE VITALEM.